

Obsequium debitum, qvod,
dum vir præclarissimus dn.
Sveno Dimberg, math. pr...

Ring, Petrus,

1 Ic 1689 Dimberg, Sveno



OBSEQUIUM DEBITUM,

quod,

DUM VIR

Praclarissimus

DN. SVENO DIM-
BERG,

Math. Professionem extraord.

In inelyto Atheneo Aboënsi,


Solemniter capesseret,

Anno M. DC. LXXXIX. die 4. Julii,

Protulit

PETRUS RING.





Literis nihil magis prodesse, quam Ductores fideles, qui earum cultoribus ad musarum culmina enitentantibus, manum quasi porrigunt & altius subinde ascendere juvant, dudum in comitiis sapientum approbatum & unanimi eorum concensu ac concentu confirmatum esse, nemini non notissimum esse videtur. Sunt namque illi, veluti faeces ac flammæ quædam publicæ è coelo delapsæ, quæ cum in finem in his terris accenduntur, ut tenebras temporum ac hominum dispellant, & artes insuper omnes, omnesque scientias illustrent. Imò in tanta luce rerum undiquaque sunt positi, ut esse non possint, nisi prosint: pulcherrimam enim hanc necessitatem virtus imposuit, ut eis nullibi esse liceat, nisi ad illos, qui eorum ope indigent, favor ac candor inclinent. Sidera habent lucem, ut eam effundendo inferiora hæc illuminent, ita illi dotes ac animos benevolentia plenos, ut aliis communicent. Facilitas sane hæc sapientiæ propemodum virtus est, non hominis, nec quicquam propius ad divinam naturam accedit, quam ut unus multis possit prodesse. Quod si ulli unquam, apprime convenit illis, qui ceteris iter ad altiora pandunt, dum suam ætatem doceant, posteram informant & utrique nominis sui æternitatem commendent. Unde provenerunt tot antiquorum scripta, quæ per varias veluti sapientiæ ætates ac studiorum auctus, seculari quodam decursu, ad nostra tempora sunt propagata: Unde tot etiam elogia, quibus subsequens ætas, illorum ingenia, tanquam scientiarum receptacula & abditas eruditionis voragines recepit: nobis tamen longe majori jure de hac factorum clementia est gratulandum, quod cultioribus longe ingeniiis nostra beaverit tempora



tempora, & ea, quæ delicatiora esse videntur, erudito huic reserva-
verit seculo. Olim quidem, septentrione barbarie obsepto, erra-
bat hæc virtus in agris, nonnunquam latitabat in sylvis & habitabat
in casis, antequam ceperant illi, quorum in mentibus nostris sem-
per magnifica erit recordatio, de sapientia & ejus studiis cogitare,
ut eorum beneficio mortalium vitam, ad meliora instruerent ac eru-
darent. Quodq; non feliciori auspicio, quam eventu ab ipsis factum
videmus. Nam maturuere deinceps studia cum ipsa ætate, æqua-
tisque annis profectus, pulcherrima connexionem suis incrementis con-
gruebant. Sic floruit Roma, sic viguit Græcia, sic utriusque cre-
vit fama, ut alii quivis, tunc temporis, cultioris orbis incolæ fa-
sces suos ultro ipsis submitterent. Et ut adhuc plenius ac planius dicam,
matrices imperiorum has agnoverunt antiqui, quas immenso scienti-
arum diluvio orbem universum, omnia secula inundasse credide-
runt, & credi etiam voluerunt. Adeo mirabilis & prope divina vis
est literarum, ut hominum animos erigant & ad melioris vitæ cul-
tum cimeriis quasi tenebris erutos, & barbariæ squaloribus exutos
traducant. Quæ si unquam perirent, dubio procul, orbem inva-
deret stupor ac barbaries, rediret chaos antiquum, antiqua scienti-
arum vastitas ac ignorantia. Videns hoc magnificus ille & ingens,
ut rerum, sic verborum, Tullius, paucis verbis omnia inclusit, dicens:
Musas in cælo natas, & de cælo generi humano missas esse. Nec
sane sine causa, cum hæc unice sint ad omnem honestatem duces, ad
dignitatem auspices, ad morum rectitudinem magistræ, & omnia
denique illa, quæ aut natura implantavit aut virtus ingeneravit, in-
tentiore quodam consilio inoderentur. Sed quid de his tam mul-
ta loquor? revoco jam animum, a remotioribus & ad præsens ne-
gotium dista applico, nimirum ad Te, (quem jam præsentem vide-
mus) Præclarissime Dn. Professor, quem in tam illustri loco
positum, ceteros inter magnos sapientiæ consultos veneramus. Sic
debit fieri, ut virtus coronet cultorem & illum in illustri sa-
mæ Theatro collocet, qui sua per omnia sæcūta fuit vesti-
gia Testatur iam Tua Domine Professor eruditio, ostendunt
præclara ingenii monumenta, quanto cum robore & animi con-
stantia, arduum illud, & cum labore conjunctum, ad Musas, iter
suscepisti: loquitur hoc insuper ipsa fama, quam, vel mea te-
nura-

itate tacente, adaugent doctorum scripta & iudicia temporum. Heic novi equidem, quomodo solent alii, qui personæ laudes suscipiunt, varios conquirere elogiorum titulos & multas, disponere virtutum classis, ut singulare quid ex omnibus, quod præ ceteris, eam commendet, eligant. Verum dum ego hoc cogitem, omnia in te summa, omnia in Te æqualia esse deprehendo, adeo ut quid, præ ceteris extollam, prorsus ignorem. Ingenii enim si nominem excellentiam, norunt eam qui de aliis iudicare debent & solent: norunt etiam ceteri, quibus eam, potius admirati, quam imitari datum est. Angusta nimis foret ejus fama, si eosdem sibi, quos patria habet, posuisset terminos: etiam aliæ terræ sciunt eam, de prædicare. Noluit namq; virtus Tua, patrio tantum solo affixa hæere, quin exterarum gentes, mores ac populos perlustraret atq; videret. Quod quantum ad experientiam & solidiorem facit eruditionem, probant Græcorum exempla, qui relicta scientiarum matre Græcia, non cultiores tantum, sed & barbaras adierunt, ut ab illis ea etiam dicerent, quæ sibi deesse arbitrabantur. Progredere igitur jam Præclariss. Professor & omnibus, quæ ad eruditionis Tux complementum requiruntur, munitus, munusq; Tibi destinatum, fausto omine suscipe. Ego vero me continere nequeo, quin inter aliorum lætos animorum plausus, gratulantium solemnia vota, oborta dignitatis Tux gaudia, meos hos squalescunq; ponam votivos applausus. Gratulor itaq; Tibi Dn. Professor, insignes hos bene meritos honores. Gratulor ipsis Studiosis & omnibus, qui literis sua nomina dederunt, de præceptore tam pio, tam erudito, qui in honore positus publico, publicus noster erit præceptor. Perge, uti incepisti, nomen Tuum, perpetuo posterorum favori, novo honoris peplo infectum, dicere. videbis famam, quam vel hæcenus consecutus, vel in posterum consecuturus es, in grata posteritate & haud surda fama, nunquam morituram. Interea fausta omnia Tibi apprecamur, optamus quævis felicia, dedicamus nostra officia, animos studia, obsecra. Vale!

